



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1551. usque ad annum 1553

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1771

VD18 90118561

§. 40. Eduardi VI. Angliæ Regis obitus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66577](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66577)

Interea cum adversa Regis valetudo in dies magis, magisque ingravesceret, Northumbriæ Dux, ut de prospero consilii sui successu certior esset, Senatores sollicitabat, ut Mariam Henrici VIII. Filiam rogarent, quatenus Regi graviter decumbenti assisteret, illiusque curam in se susciperet. Verum Dux hoc pacto, ut fertur, hanc Principem custodiæ dare machinabatur, licet ejus consilia per repentinam Eduardi mortem fuissent eversa. Interim Maria, cum Londinum properaret, jamque civitati proxima esset, a suorum Ministrorum quopiam admonita fuerat, Regem cum morte luctari, ipsi vero Londini periculum parari. Hoc nuntio territa cœptum iter deserit, atque ad arcem suam minime munitam, quæ Kennigshalla dicitur, omni celeritate se recipit, ibidemque tamdiu inclusa permansit, donec certior fieret, quod Rex obiisset.

Sæc XVI.
A. C 1553.
Burnet & Sander. l. c.

§. XL.

Eduardi VI. Angliæ Regis obitus.

*Sleid. l. 25. p. 922.
Thu. l. c.
Sand. l. 2. p. 299.
Belcar. comm. l. 26. n. 37.
Pallav. hist. Conc. Frid. l. 13. c. 6.
n. 5.*

Enimvero Eduardus die sexta Julii anno ætatis suæ nonnisi decimo sexto vis eripiebatur, postquam nonnisi septimum a Patris sui obitu annum vitam superstes fuerat. Observabatur a cunctis, quod Eduardus vitam finierit eodem Mense, eodemque prorsus die, quo Hen-



Sæc. XVI.
A.C. 1553.

ricus ejus Pater Thomam Morum summæ integritatis, ac probitatis Virum capite plecti jusserat, ita nempe Deus tanti Viri cædem per regii filii mortem ulcisci voluit. (*) Ceterum hujus Principis exequiæ usque ad octavam Mensis Augusti diem differebantur, ejus tamen Corpus extractis prius intestinis Westmonasterium ad Ecclesiam S. Petri delatum, ibidem feretro ad id speciatim adornato illatum fuit. Postea custodiebatur a duodecim Nobilibus, qui diu, noctuque, absque cereis tamen, ac faculis vigiliis agebant, usquedum solemnities fierent exequiæ. Interea Northumbriæ Dux sese Anglis oppido invifum reddebat, eo quod Regis sui mortem accelerasse crederetur, ipse tamen juxta testamenti a defuncto Rege nuncupati tabulas consilia sua maturare, ac Joannam Grajam Nurum suam in Angliæ Reginam proclamari satagebat.

§. XLI.

* His addit Sanderus l. c. *Huc pertinet, & ad eandem Dei justitiam referri debet, quod nullus plane ex Henrici liberis (quos ille ut multiplicaret, ac posteritati perpetuaret, toties uxores mutare fingebat) sobolem ullam ex se reliquerit, licet omnes juventute florerent, sed steriles transferint sine prole, aut germine, ne Patris tam impii propago, ullas radices ageret.*